



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. II. Refellitur doctrina de invenibilitate omnis legis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

rantie sunt invincibiles? Respondet: *Deus scit.*

N. Similiter querit, quanta sit diligentia adhibenda. Cum enim sit agere, quod in nobis est, vel secundum totum posse, vel secundum medium posse, vel minus, vel plus, quantum demum sit, quod agendum est. Ait 1. se de hoc tractasse lib. 1. in quo dictum est, *taxari a nobis, & discerni non posse quantitatem hujus diligentie.* Ait 2. quantitatem istam pendere ex quantitate studij adhibendi in Dei, & animæ obsequium, quia ex hoc studio debita diligentia sequitur, & se libro sequenti acturum de hoc studio. Ait 3. quantitatem esse, quam verè Deum super omnia, & proximum sicut se diligentes adhibent, ut libro sequenti docebit. Ait 4. quantitatem esse, quam, & qualem viri Dei, & Sancti impendunt, & ad instar illius. Ait 5. quod integro libro dici potest, quantitatem esse ut minimum quam, & qualem sectatores mundi impendunt honori, vel divitijs, vel voluptati communiter, & plerumque: nec hæc regula tamquam excedens in Dei judicio enervari poterit. Hæc P. Elizal. qui claudit his verbis: *Durum est, inquis, sed non de duro, & blando, sed de vero, & falso disputamus, & hic locus communis, est magis Mahometianorum legi, quam Christianorum congruus.*

N. M. Palanco qu. 9. n. 19. asserere videtur in genere id ipsum, quod P. Elizal. nam asserit non dari, per se loquendo, invincibilem ignorantiam præceptorum naturalium; & n. 49. asserit non dari ignorantiam invincibilem legis Divinæ Evangelicæ. Idem M. Elbecq.

§. II.

Refellitur doctrina de invincibilitate omnis legis.

S U M M A R I U M.

Idem omnino est, an detur ignorantia invincibilis juris naturæ, ac an omnis lex naturæ sit invincibilis, n. 154.

S. Thom. aperit ait, quod non omnes tenentur, quin nec scire possunt juris dubia, ibid.

Celladei valde, & merito, celebrat D. Thomam, & tamen ab eo recedit, n. 155.

S. Thom. tenetur invincibilem circa fornicationem ignorantiam, n. 156.

Optimè P. Thyrsus suadet ex SS. PP. dari invincibilem juris naturæ ignorantiam quoad remota, n. 157.

DD. n. 158.

S. Anton. & Adrian. explicant D. Th. quod ignorantia legis, de cujus existentia disputatur inter DD. non sit ignorantia ejus, quod quis scire tenetur, seu vincibilis, sed invincibilis, n. 159.

Tom. I.

Si omnis lex est invincibilis, cur lex naturalis taxans mensuram diligentie non est talis? n. 160.

Incongruè Celladei sumit eam mensuram a Dei amore, & a diligentia, quæ Sancti usi sunt, & plura confundit, n. 165. ad 173.

Deus jubet unice quod nobis prodest, & ad pauca obligat, & non nisi rarissime ad summè ardua, n. 170.

Ut quæ necessaria sunt pro vitâ temporali sunt valde pauca, ita & pro vitâ æterna, ibid.

Qualiter SS. PP. utantur argumento diligentie pro re temporali, n. 171.

Non obligant ad eandem pro æternâ, sed ea supposita redargunt a minori ad maius: si tantum agitis pro re temporali, cur non pro æternâ? & sic non obligant, n. 172. 173.

Ut infernus, ita calum aditu facile,

Reciprocantur hæc duæ quæstiones, an N. detur ignorantia invincibilis legis naturalis cum hæc, an omnis lex naturalis sit invincibilis; si enim est invincibilis, omnis ignorantia juris naturalis erit vincibilis, nulla autem erit invincibilis. Dixi autem sectione elapsâ §. 3. posse dari ignorantiam invincibilem circa præcepta Decalogi, saltem aliqua, seu circa jus naturæ, ut docent plerique Theologi cum S. August. & S. Thomâ; & S. Aug. perpetua contentio Theologorum in rebus circa jus naturæ dubijs hoc evidenter authenticat; quare, ut quæ §. antecedenti ex P. Eliz. attuli, efficaciter refellantur, satis erit illustrare oculis §. 3. sect. tertia; immò satis est meminisse ejus, quæ ex S. Thomâ in 3. Ethic. S. Th. cap. 5. lectione 11. citavi, ubi ait: *Difficultates juris non tenentur omnes scire, quin nec possent.* Ecce S. Th. excludit obligationem, immò possibilitatem sciendi difficultates juris naturalis: ergo non omne jus naturale est invincibile, non tantum à quolibet homine, sed à nullo.

Attamen præter dicta addenda sunt alia; N. primum est ex eodem Elizal. qui 3. p. lib. 7. a qu. 10. 11. & alijs, totus est in probando non dari invincibilem ignorantiam juris naturalis, & Divini, nec fidei; nec hoc contentus dicit, omnes veteres T. T. hoc sensisse; immò, quod mirum est, qu. 11. §. 7. pag. mibi 55. loquens de S. Thomâ, eumque his verbis laudans: *Quantum sit in uno Thomâ momentum, norunt sapientes; & quod sapientiores, eò magis; & quibus ille nihil est, mihi ipsi nihil sanè sunt.* Et post pauca subdit: *Fatendum ingenuè in primis est D. Thom. 2. 2. qu. 10. art. 1. & in Epist. ad Rom. cap. 10. lect. 3. admisisse ignorantiam invincibilem fidei, & infidelitatem negativam in illis, qui non audierunt.* Ecce 1. si hæc

O ij

vera

vera sunt, ut sunt, nescio quomodo, qui jure merito tantum extollit S. Doctorem, tantum ab eo discat. Ecce 2. quā veritatis specie dicat omnes veteres TT. pro se stare, cum tamen S. Thom. eorum Princeps pro eo non staret. Quid si P. Eliz. alia S. Thomæ loca lustraret? Utique suam opinionem deponeret; & nē longius abeam, idem P. Elizal. l.c. pag. 57. mirabiliter se torquet in exponendo textu S. Thomæ ex qu. 3. de Malo art. 8. ubi hæc habet: *Si in eodem alio aliquid sit ignoratum, & aliquid scitum, potest esse voluntarium, quantum ad id, quod est scitum, semper tamen est involuntarium, quantum ad id, quod est ignoratum, sive ignoretur deformitas actus puta cum aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntarie quidem facit fornicationem, sed non voluntarie facit peccatum.* Ecce S. Thom. fornicationem trahit in exemplum invincibilis ignorantie: ergo supponit circa eam dari posse ignorantiam invincibilem, quæ utique erit invincibilis circa jus naturæ. Quare merito P. Thyrs. diff. 8. postquam retulit opinionem, quam sequitur M. Contenson, negantem dari ignorantiam invincibilem etiam circa juris naturalis apices, sed omnem esse vincibilem, atque adeo omnem, qui operatur contra legem naturæ, peccaturum semper, etiam ex. gr. idem contractus judicaretur licitus à ferè omnibus Doctores; merito, inquam, P. Thyrs. n. 11. ait, hanc doctrinam sibi videri difficilem: certum enim est sapientissimos DD. & Sanctos sine culpa tradere doctrinas oppositas circa jus naturale, quarum alteram est evidens esse falsam: ergo evidens est Sanctos DD. aliquando sine peccato docere doctrinas falsas circa jus naturale. Si autem illi in illis tradendis non peccarunt, cur peccare debet, qui eas sequitur, motus autoritate, & rationibus illorum? & si illi in docendo non tenentur semper tradere doctrinas veras, sed solum requirere veritatem, & tradere vel doctrinam veram, vel verosimiliorem, et si re ipsa falsa esset, similiter non tenebuntur Fideles semper ad verum in ijs, de quibus inter Catholicos disputatur, sed vel ad verum, vel ad verosimilius, et si falsum. Hæc P. Thyrs. qui deinde diff. 11. cap. 5. ostendit veram esse communiorē TT. sententiam docentem dari ignorantiam invincibilem juris naturalis quoad conclusiones remotas, de quibus dantur opiniones contrariæ inter DD. Catholicos; & n. 15. fusè hoc probat, & citat S. Antoninum, Adrianum, M. Soto, Conradum, P. Suar. lib. 2. de Leg. cap. 8. n. 7. & lib. 5. cap. 12. n. 6. & de Cenluris d. 4. à P. Suar. n. 14. P. Vasq. 1. 2. d. 122. & alios, inter quos S. Tho. S. Thom. qu. 100. art. 1. in corp. qui ait: *Qua-*

dam sunt in humanis actibus adeo explorata, quod statim cum modicā consideratione possunt approbari, vel reprobari per illa communia, & prima principia; quedam vero sunt, ad quorum judicium requiritur multa consideratio multarum circumstantiarum, quas considerare diligenter non est cujuslibet, sed sapientium, sicut considerare particulares conclusiones scientiarum, non pertinet ad omnes, sed ad solos Philosophos. Quapropter S. Antonin. 1. p. Sum. tit. 3. cap. 10. §. 10. & Adrianus in 4. docent, limitandum esse dictum S. Thomæ ex quodlibeto 8. art. 3. dicentis: *Illud, quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod sit juxta conscientiam; dicunt enim S. Antonin. & Adrianus dictum S. Thomæ intelligendum de eo, quod agitur contra legem, de cujus existentia, vel extensione ad talem casum, dantur oppositæ sententiæ Doctorem, nam ignorantia legis, de cujus existentia disputatur inter DD. non est ignorantia ejus, quod quis scire tenetur; id est, non est ignorantia vincibilis, sed invincibilis.*

Secundum est, quod si brevitati non consulere, tot, & tanta mihi contra allata ex P. Elizal. occurrerent, ut integro volumini satis essent: attamen ab omnibus superfedeo, & ut argumento peremptorio pleraque ex adductis infringam, ita discuro: Dicit P. Elizal. quod quia omnis lex Dei est possibilis, omnis est invenibilis; porro si omnis lex Dei est possibilis, & invenibilis, erit etiam possibilis, & invenibilis lex taxans mensuram diligentie adhibendæ, ut talis particularis lex cognoscatur: sed lex Dei taxans mensuram quantitatis diligentie adhibendæ non est invenibilis, ut testatur idem P. Elizal. & ipsa experientia probat: ergo non omnis lex Dei est possibilis, nec omnis est invenibilis. Hoc argumento infringuntur omnia argumenta ab eo adducta, præsertim in conclusione octava. Primum infringitur; quia lex Dei de quantitate diligentie est incognoscibilis, non enim illius mensura taxari potest: ergo si ab incognoscibilitate arguere licet ad impossibilitatem, lex Dei de quantitate diligentie non erit possibilis: vel si in possibili clauditur, ut ipse vult, cognoscibile, si est possibilis mensura sufficientis diligentie adhibendæ, eadem etiam erit cognoscibilis. Secundum infringitur; quia in obligatione faciendi includitur obligatio cognoscendi: ergo in obligatione utendi diligentia debita includitur obligatio sciendi quantitatem diligentie debite; sed hæc per P. Elizal. est incognoscibilis, non enim taxari potest quantitas diligentie; ergo hæc est impossibilis.

Tertium

S. Antonin.

Adrian.

M. Sot.

Conrad.

P. Suar.

P. Vasq.

S. Tho.

N.

160.

P. Eliz.

N.

161.

N.

162.

Tertium infringitur; quia datur invincibilis ignorantia certe mensuræ quantitatis diligentiae adhibendae: ergo, velit, nolit, datur in ipso invincibilis ignorantia alicujus legis naturalis; nam lex naturalis est, *utendum tantā diligentia*. ergo post Evangelij promulgationem datur invincibilis ignorantia dictae legis naturalis: quod si per ipsum datur invincibilis ignorantia hujus legis naturalis adeo universalis, & necessariae de quantitate diligentiae; nam, ut ait, *quantitas diligentiae a nobis, nec taxari, nec discerni potest*, adeoque haec quantitas invincibiliter ignoratur; quanto magis dabitur ignorantia invincibilis in pluribus conclusionibus legis naturalis, à primis ejusdem legis principiis

N. 163. valde remotis? Demum infringitur argumentum, quod vocat peremptorium; ita enim arguo: Quod quisque cognoscat legem Dei ad se pertinentem, pendet ab ipso, & Deo: ergo etiam cognitio legis Divinae de quantitate diligentiae adhibendae pendet à nobis, & Deo. Modo quaero, à quo defectus proveniat, an à Deo, an à nobis, quod nescire possimus, nec taxare quantitatem diligentiae; & quod dabit, dabo & ego.

N. 164. Tertium est, quod, dum P. Elizal. ulterius procedit in explicandā quantitate diligentiae, ignotum per ignotius exponit; nam aequè ignota est quantitas studij adhibendi in obsequio Dei, & animae culturā, ac quantitas diligentiae: & tandem tota mensura quantitatis reducenda est ad consilium viri vere probi, & docti proportionatè ad negotium, quod tractatur, & respectu cuius diligentia est adhibenda. Longè obscurius est

N. 165. deumere quantitatem diligentiae ab amore Dei super omnia, & ab amore proximi, ut sui ipsius; primo, quia circa hunc ipsum amorem Dei super omnia, & proximi, ut sui ipsius, plurima sunt circa ejus essentiam, obligationem, tempus, & alias circumstantias inter T. T. controversa. Secundò, quia hoc est confundere perfectionem cum praeceptis; licet enim amor Dei super omnia, & proximi, ut sui ipsius, sit praeceptum, attamen quantitas maior, vel minor, ex. gr. intensio, & extensio, non est praeceptum. Tertio, quia sequeretur, quod qui est in culpā mortali, quia caret amore Dei super omnia, numquam posset uti quantitate diligentiae debita, ut ad justificationem perveniret, immò ut alia praecepta impleret: ergo quantitas diligentiae non sumitur necessario ab amore Dei super omnia, & proximi, ut sui ipsius.

N. 166. Quartum est, incongruum omnino esse tradere mensuram quantitatis diligentiae per comparationem diligentiae, quā Sancti usi

Tom. I.

sunt; hoc enim est sub praecepto obligare ad tantam diligentiam, quā Sancti usi sunt; imò est obligare ad id, quod nesciri potest: quomodo enim sciatur quantitas diligentiae, quā Sancti usi sunt? Præterea cum unus maiori, alter minori diligentia usus sit, & plurimi inter Sanctos sint inaequaliter Sancti, minor Sanctus, Sanctus non erit, quia non est usus eā diligentia, quā maior. Rursus, hoc est velle Sanctos nullā maiori diligentia usos fuisse, quā quæ necessaria erat; quis autem hoc dicat? Ergo remittere nos ad quantitatem diligentiae, quā Sancti usi sunt, non tantum est remittere nos ad incognitum, sed est velle nos esse Sanctos, & Sanctos non esse Sanctos.

Quintum est, quod dum P. Elizal. omnes N. 168. obligat ad minimum ad eam quantitatem diligentiae in animae salute procurandā, quā sectatores mundi utuntur in honore, divitijs, voluptatibus sibi comparandis, obligat per eosque ad quid impossibile, & confundit, quæ sunt consilij, & supererogationis cum ijs, quæ sunt praecepti. Quis enim obligabit rusticum, qui ex octo mille octingentis, & amplius horis, quibus annus impletur, qui, inquam, ferè sex mille horas in agrorum culturā impendit, ad totidem in animae suae culturā impendendas? Quis eum, cui fre-

P. Eliz. 169. mentis oceani impetus nihil sunt, ut Indico potiatur auro, comparatasque tot mortibus divitias, splendide domus (ut prophanos, & illicitos in vitia sumptus taceam) aedificio destinat; quis, inquam, obligabit, ut se iterum furenti oceano committat, eademque pericula subeat, totidemque divitias nosocomio extruendo elargiatur? Sanè, si ex excessu aeternae vitae supra temporalem, infert P. Eliz. diligentiam pro aeternā vitā conquirendā excedere tantundem debere diligentiam, quam pro vitā temporali homines adhibere solent, eodem argumento probabo tantò maiorem debere esse ex praecepto diligentiam, non tantum pro aeternā gloriā, sed pro quolibet levissimo ejusdem gloriæ excessu, quantò quilibet gradus gloriæ superexcedit cumulum omnium simul bonorum temporalium. Quis autem sub praecepto quemlibet hominem obligabit ad omnia ea pericula devoranda, quibus miles gloriæ cupidus? ad omnes eos profusos sumptus, quibus lascivus concupiscentiā estuans? ad omnes insomnes vigilias, quibus negotiator lucro inhians se ex toto committit, cum sæpe nihil tale occurrat subeundum homini iusto, immò peccatori, ut Deo suo in aeternum potiatur? Adde 1. ex S. August. relato à D. Bonav. tom. 3. serm. 1. de SS. Evangelistis

O iij

gelistis pag. 310. ad finem, quod nihil Deus jubeat, quod sibi prodest, sed quod illi, cui jubeat.

- N. 170. Addo 2. quod sicut Deus ad vitam temporalem utcumque traducendam pauca fecit necessaria; quæ enim homines plerumque expectunt, & ad quæ se sponte damnant, cupiditatis, ambitionis, & vitiorum illicia sunt, non necessitatis: ita Deus Optimus Cælum nobis facillimo negotio venale fecit: non est, quod Indias adeamus, non est, quod omnia bene parta in eleemosynas profundamus; non est, quod tantundem premamur, & opprimamur, quantum vitiosi pro Venere saturanda. Ad pauca itaque nos plerumque obligavit; immò ad præcepta Evangelij magis ardua non nisi rarissime: rarissima enim occasio se se offert: immolandi, ut Abraham, filium, parcendi inimico summè infenso, resistendi vehementissimæ tentationi: plerumque enim tentationes non sunt vehementissimæ; plerumque cum inimicis reconciliationes non supponunt excedentem injuriam: hoc autem Deus ex suavissimo in nos amore ita disposuit. Igitur ad pauca, & quidem facilia, si gratia nobis semper assistens confideretur, & magnitudo æterni præmij mente revolvatur, Deus nos obligavit, non igitur ad tantam diligentiam, quantâ sive sponte, sive necessario utuntur sectatores, & multo magis vitiosi hujus sæculi.

- N. 172. Hinc sæpe memini famosæ sententiæ Excellentissimi Principis, qui ferè omnem pro vectæ ætatis suæ partem sub Austriacis Vexillis, illustrioribus bellici honoris gradibus decoratus, traduxerat; memini, inquam, famosæ ejus sententiæ: hic enim dum adolescens mihi in primis intimus, Societatis tyrocinium adiret, ut se Deo ex animo immolaret, inter alia excelsi ingenij monumenta, hoc sæpe revolvendum protulit: Sexaginta, & amplius, nos milites ligamur legibus, quarum qualibet, etsi ex incerto Martis eventu inconsideratè violetur, actum est de honore, & sæpe de vitâ; hoc autem non ut supremo, sed ut infimo, seu honorati militis titulo gloriemur: tu verò præter tria super Decalogum vota, vix habes, quod te obliget; immò etsi ex accidenti legem aliquam occultè violares, integra tibi fama, & vita est. Heu ad quæ, & quanta, incerta temporalis militiæ alea; ad quam modica tuæ spiritualis militiæ tessera, me, & te obligat! Hæc mihi Excel. Princeps, dum Societatem ingredi volui.

- N. 173. Addo 3. quod ut argumentum ex diligentia, quâ hujus sæculi homines utuntur, infractum robur sumat, debet esse, immò esse à minori ad maius. Siquidem Deus, & San-

cti, ut homines ad æterni Regni lucrum invitent, & ut resistentibus omnem omnino exultationem auferant, ita arguunt: Si tantum laboratis, licet hoc necesse non sit, ut modicè vivatis, quanto magis laborare debetis, non tamen debetis, ut in æternum vivatis? Neutiquam igitur Deus, & Sancti obligant ad tantum diligentiam pro æterno Regno, ad quantum pro re temporali peccatores sponte se obligant: sed ex summa diligentia peccatorum pro rebus sæculi redarguunt nullam diligentiam eorum pro Regno æterno. Immò, sicut Deus infernum aditu facile permittit (satis enim est una culpa mortalis) ita equè aditu facile reddidit æternum Regnum; satis enim est in omni infante Baptismus, in omni adulto habente conscientiam mortalis, vel contritio, vel attritio cum confessione; & Deus contentus est, ut appetitivè magis æstitemus vitam æternam, & ad ejus diligentiam usum nos obligavit, quâ omne ejus imminens impedimentum tollamus, & ejus mandata impleamus, quæ diligentia quantitas taxari debet prudentis, probi, & docti viri consilio, quo Deus nos regi voluit.

§. III.

Contradictiones P. Elizaldæ, & ulterior impugnatio.

SUMMARIUM.

- Præcipue, n. 174. ad 178.
Aserit ignorantiam instam probabilitati esse invincibilem, n. 175.
Vult mensuram diligentia taxari non posse, 178.
Ex hoc quod sit possibile inveniri, non inferitur, quod inveniat, n. 180.
Ostendo nullum Ecclesiæ Doctorem invenisse omnem legem, quin eo ipso quod sibi contradixere quoad jus naturale, eo ipso non invenere; & ut illi non peccarunt, nec nos, ait scitè P. Thyrsus, n. 181. ad 186.
Lex est invenibilis, & Deus eam notitiam quoad rationes explicitas dare debet, non quoad remotas, n. 185.
S. Aug. de se fateatur, ignorantiam sibi in multis insuperabilem: in quibus? n. 187.
Et ait, quod authoritati credere sit magnum compendium, & nullus labor; & suadet imperitis, quorum maxima pars est, ut authoritati fiant, n. 188.
S. Aug. de se ait, Quo me contemnas, quid inter se differant, (Angeli) nescio, nec in eâ ignorantia periclitari me puto, sicut in obedientia, si Domini præcepta neglexero, n. 187.

P. Ræter dicta notanda veniunt contradictiones P. Elizaldæ. Primum est, vel omnem P. Elizaldæ legem

N.

174.

P. Eliz.

legem